Schwert

Theil
Gift

19. 8. 84

ALPHABETUM ANIMARUM AD LIBRVM VITÆ aſpirantium.

AUTORE
R. P. WENCESLAO
Schwertfer Soc. JESU
Sacerdote

EDITIO IV.

Domus Prob: S.J: ad S: Steph: Pro Novitiis

Cum licentiâ Superiorum.

Impreſſit NISSÆ, Ignatius
Conſtant: Schubart, Anno 1673.

LECTOR BENEVOLE.

SUbjunxeram hoc i-
psum Alphabetum li-
bello meo de Cruci-
fixo, ante annos faci-
lè septendecim: cùm intelligo
pro Manuali separatum deside-
rari, ut ex paucorum foliorum
fasciculo melior ad ferendum
ac legendum opportunitas ac-
cedat. Facio id tuî gratiâ mi
Lector: & me simul, velut Jo-
bi folium annecto, ut ab aspi-
rationibus tuis in sublime ra-
ptus, in LIBRUM VITÆ inse-
rar, & unà tecum ex foliolis his
quæ â vento bonorum desideri

orum rapiuntur, Potentiæ Divinæ ostensiones in æternum decantem.

Nè verò te Modus & Fructus *Aspirationum lateat: Observa, posse hos Actus applicari SSS. TRINITATI, JESU Crucifixo, aut, dum visitas, SS. SACRAMENTO. Sive ordinem Alphabeticum usurpes, sive litteras transilias; fusè vel breviter, sensum contrahendo vel explicando; verbis singulis:* Adoro, Benedico, Credo &c. *vel in paraphrasin ùt subjungitur, dilatando; unum vel plures Actus; mente vel granis, pro temporis circumstantia & quantitate.*

Fructus porrò hujus Exercitij

citÿ ac Devotionis PRIMO facilem memoriam Præsentiæ Divinæ inducet, cùm nihil promptiùs occurrat, quàm quælibet littera signo mentis necessaria, dabit SECUNDO methodicam occasionem magna merita coacervandi; si præsertim cum intensione ac fervore animi, Actus eliciantur. TERTIO, magnos virtutum habitus producet per actus toties frequentatos, non tantùm in planis virtutibus, sed arduis etiam; ÿs vel maximè, quæ frequentes resolutiones, decreta, proposita & occentus quosdam, sivè inculcationes persuasivas; tam intellectui convincendo, quàm voluntati inflammandæ, necessariò requiruntur. Fateor

teor multos Actus in pÿs Libellis elementari itidem ordine propoſitos eſſe: Sed vel fuſi ſunt, vel affectibus, ſeu affectionibus quibuſdam (vocaliter ac verbaliter plurimùm uſurpati) ferè magis deſerviunt, quàm generoſis animi decretis & impulſibus ad formandam ex virtute practicam vitam, vel una demum ſpecie ſunt limitati.

Hoc verò Alphabetum, ſoli memoriæ pro quovis tempore, ſine uſu, tandem libelli, ſervire poteſt, & methodum innuit, non tantùm variandi Actus ſub uno Virtutis genere, cum inſigni meritorum incremento: ſed etiam per frequentes repetitiones, & quadam

reſo-

resoluta Decreta, illuminat Intellectum, cogit Voluntatem ad ejusmodi Actus in instanti Virtutis occasione atque occursu, DEI amore (practicè ad morum & vitæ perfectioris compositionem) exercendos. Literam primam ordire si placet, & ad SSS. TRINITATEM, CHRISTUM Crucifixum, vel Eucharisticum (quando negotia seculorum & salutis tuæ tractas) dirige, meique pariter (quod supplico) non obliviscere.

ACTUS
ALPHABETICI.

ADORO te ô Æterne DEUS! Pater & Fili & Spiritus sancte! Adoro infinitam Majestatem, Excellentiam, Sanctitatem, Bonitatem, Potentiam & Sapientiam. Adoro te Trinum & Unum. Adoro te benedicte JESU in DEO Patre & spiritu Sancto. Verum DEUM & Hominem. In Immaculata Virgine MARIA Matre tua. In omnibus Angelis & Elec-

Electis. In Cælo & in Terra. In speciebus Venerabilis Sacramenti per totum Orbem. In Justis omnibus, ijs præsertim, qui tibi ex ferventiori amore, & fideliori servitio, heroicis victorijs gustum præbent.

Adoro in peccatoribus, blasphemis, ingratis, infinitam Bonitatem tuam, letalibus peccatis offendentibus. Adoro natum & reclinatum in præsepio. Adoro laborantem, & conversantem in terris. Adoro ad pedum lotionem humiliatum, proditum, captum, flagellatum, coronatum, illusum, Barabbæ postpositum, condemnatum, Crucem bajulantem, inter la-

trones reputatum , Crucifixum, desolatum, morientem. Adoro omnium peccatorum locò ; totiesq; honorem omnem affectu meo, vitâ meâ, compensare desidero , quoties illuderis , contemneris, malâ vitâ blasphemaris, Adoro Creantem & conservantem omnia, Redimentem, vocantem , Sanctissimis Sacramentis Ecclesiæ sanctæ Catholicæ providentem. Adoro benefacientem probis & improbis, omnia sanctissimè in Orbe disponentem.

AMO te ô DEVS, amo JESU amore meî Crucifixe ! Amo te super me & super omnia desideria mea , unicum desiderium meum ! Amo te

Pater

Pater mi & Domine mi, propter immensam charitatem, infinitam bonitatem, abyssalem misericordiam. Amo te super omnia creata, & amare volo in æternum. Neque aliud quidquam extra te amare volo, nisi secundum te & propter te. Nec salutem meam amo, nisi propter te, quia tibi placet, (quod spero) ut salves me. Amo te practicè omnibus viribus laborando (& patiendo) propter te. Exemplum sumo à ferventibus Amatoribus tuis. Amore tuî decerno, me velle tibi sanctè (juxta morem Sanctorum) servire *fideliter* in omnibus etiam minimis, absq; ullo peccato; *ferventer*, mo-

do ſcilicet optimo quo poſſum, ſive ut tu juſſisſti, ex toto corde & ex omnibus viribus & decerno me velle vivere juxta voluntatem tuam, cui me in proſperis & adverſis, in vita & morte conformo. Pactum facio tecum amantiſſime JESU, quòd in æternum nullo peccato voluntario te offendere velim, ut dum à multis peccatoribus offenderis & contriſtaris, à me pacem habeas. Amo benefacientem & caſtigantem. Amo ſimul proximum propter te. Amo & reſpicio te in Pauperibus. Adverſarijs verò meis, amore tuî parco, quos etiam ſicut voluiſti, diligo. Amo ùt filius amantiſſimum

Pa-

Patrem, quem ſimul medullitus veneror, & cujus amore vitam, ſi occaſio ferat, pro honore, pro amore, pro Catholica fide, pro juſtitia & virtute, pro avertendis peccatis, pro compenſatione injuriarum à peccatoribus factarum, effundere libentiſſimè decerno.

BENEDICO te & benedico tibi Domine JESU in æternum benedicte! Quoties Peccatores lingvâ, vel malâ vitâ te blasphemant, toties tibi benedico & lingva & affectu, & omnibus viribus meis, & vitâ ex legibus tuis ordinata. Quandocunq; audiam blasphemiam quamcunque (quod abſit!) à ne-

fariis peccatoribus proijci de ſanctiſsima tua diſpoſitione, de SS. Sacramentis, vel alia impia dicta maledico ac blaſphemo ore jactari; toties tibi corde intimo benedicam. Benedico tibi ſpecialiter in Cruce, in qua ſummè blaſphematus, deſpectus, maledictum factus es pro nobis. Benedico inquam, & omnibus ſceleratis Judæis, ac Infidelibus te blasphemantibus, me oppono. Qui dum tibi maledicunt, ego clamo intenſiſſimo affectu & amore; Benedictus DEUS! Benedictus JESUS in æternum! Sit Nomen Domini benedictum ex hoc nunc & uſq; in ſeculum! Benedico tibi ô JE-

Sit propter honorem quem & ob excellentiam sanctitatemq; infinitam, & ob exinanitionem humiliationemq; tuam abyssalem mereris. Benedico etiam propter justitiam in Reprobos tuâ gratiâ non utentes vel abutentes, administratam. Et quia firmissimè in misericordiâ tua & meritis tuis confido, me fore ex illis, quos tu aliquando vocabis ad te dicens: *Venite Benedicti*; ideo etiam ex hoc motivo & ex hac fiducia, incipio tibi dicere ac benedicere: *Benedictus DEVS in æternum*!

CREDO te DEVM esse unicum & verum, unicum Dominum nostrum, Creatorem

rem cæli & terræ. Credo Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, tres Perſonas unum DEVM. Credo JESVM Chriſtum Filium DEI unigenitum, natum ex MARIA Virgine, paſſum pro ſalute noſtra & Crucifixum, conſtitutum à Patre Judicem vivorum & mortuorum. Credo unam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Credo omnia, quæcunq; eadem ſancta Romana Eccleſia credenda præcipit, cujus me ſenſibus omnibus ſubijcio. Damno & anathematizo hæreſes, & quidquid eſt, quod Eccleſia damnat & anathematizat. Credo ſpecialiter illa omnia quæ noſtri temporis Hæretici

non

non credunt ſed blaſphemant. Credo ſub ſpeciebus panis & vini vivum & verum Corpus&Sangvinem eſſe Domini noſtri JESU CHRISTI, quem in ſpecie Panis, ſive in Venerabili Sacramento inEccleſijs conſervato vel proſtante ad venerationem, adoro & benedico.

COMMENDO tibi ô JESV ſpiritum meum, ſpiritum vocationis meæ, bonæ voluntatis meæ; conatum & progreſſum in virtutibus, ut gratijs tuis excites, illuſtres, inflammes ac impellas, corrobores & cuſtodias in tuo famulatu ad mortem uſq;. Commendo meum propoſitum particulare, & illa decre-

ta,

ta, quæ tibi ſervare, vel tuî cauſa facere decrevi. Commendo hujus & illius negotij expeditionem. Commendo illos qui mihi crediti ſunt & meæ curæ commiſſi; illos ſpecialiter qui ſe meis aliquando precibus commendaverunt. Commendo meas animæ neceſſitates, Eccleſiæ, Religionis, publicas & privatas, gementium & afflictorum, cruces meas, infirmas vires meas, infirmos & agonizantes, in periculis animæ & corporis conſtitutos. Commendo corpus & animam hoc & ultimo vitæ meæ tempore. neque de genere mortis eſſe ſolicitus volo, ita omnia fiant, ſicut vis & me-

& mecum ſtatuis, amantiſſime mi Pater. In omnibus tua voluntas fiat, ſicut in Cælo & in terra. Commendo tibi omnem meî apud Superiores providentiam & diſpoſitionem, quoad locum & officium. Commendo caſtitatem, oculos præſertim & cogitatus meos, ut tu ſanctâ, piâ & Paternâ providentiâ tuâ occaſiones omnes mihi nocituras ſubmoveas, incidentias & objecta impedias vel avertas. Omnia tibi prorſus commendo, de nulla re ad anxietatem, nec de me, ſed ſolo te ſolicitus eſſe volo.

DOLEO ex amore tui ô infinita Bonitas, de omnibus peccatis meis, quibus te aman-

amantiſſimum Patrem, infinitum Bonum, ſummè amabilem DEVM oſtendi. Retracto penitùs omnes conſenſus, quos contra voluntatem tuam aliquando admiſi. Odi ac deteſtor peccatum ùt rem ſummè abominabilem, ſummè malam, tuæ voluntati adverſam, propter bonitatem tuam Domine! Malo Domine millies mori, quàm te denuo minimo voluntario peccato offendere. Hucuſq; ſit terminus delictorum meorum, & non ultra in æternum! Tollam & vitabo diſpoſitiones, fugiam occaſiones, peccati, has præſertim & illas mihi magis periculoſas, quamdiu halitum traham,

ham. Minima etiam peccata, pro magnis offensis reputabo, cùm tibi res displicentes admittere, tuam voluntatem non facere, ùt rem maximi momenti apprehendam. Ideoq; omnia prorsus vitare firmissimè promitto. Doleo etiam summo dolore, quòd offendaris ab hominibus, ingratis præsertim ijs, quibus bona temporalia vel spiritualia uberiùs communicas. Ita doleo de peccatis meis amore tuî ô DEVS! ut velim sangvine meo redimere tempus quo peccavi; ut non peccassem. Et quia hoc impedire non possum, sangvinem & merita JESV Crucifixi, vitam etiam meam pro

peccatis offero, mortis decretum libenter accepto & rogo, ut liberè disponas de vita mea, illam affligas in omnibus tam quoad famam & nomen, quàm quoad corpus; ut tibi immensæ Bonitati & Sanctitati à me offensæ, quod in unione meritorum JESV CHRISTI Crucifixi repræsento, satisfieri possit.

EXVLTO Domine in te solo & rebus tuis, nihilq; in mundo habere volo quod me afficiat, nisi te sapiat. Renuntio omni gustui & oblectationi sensuum propter me, sed solùm illa, quæ me licitè aliquando oblectant, accepto propter te. Gaudeo quod tibi fideliter serviatur à mul-

multis servis tuis. Quòd honor tuus & gloria tua per totum mundum innotescat, quòd te omnis Creatura, DEVM & Dominum summum recognoscat; vel recognoscere debeat, quòd tibi Principes Cæli & Terræ famulentur. Exulto & gaudio propter infinitam, immensam Magnitudinem tuam, Excellentiam, Bonitatem, Sapientiam, Potentiam & Justitiam. Gaudeo quòd tibi publicus honor in mundo deferatur in Templis, Processionibus, novis ac novis amore tui devotionibus excogitatis, famulatibus Religionum ac Sodalitatum. Gaudeo quòd omnes Cæsares & Reges terræ, te sicut vermiculi

miculi Creatorem, ficut mendiculi potentiſſimum, Optimum Maximum DEVM agnoſcant & venerentur. Exulto & gaudeo, quòd millia hominum amore tuî moriantur, vitam & ſangvinem alij profundant, alij profundere ſint parati. Quòd talentis ſuis à te datis utantur, ſtrenuè laborent ac deſudent uſq; ad infirmitates, fractas propter te vires, uſq; ad mortem. Exulto in fructu quem copioſum colligi video (majorem ac majorem deſiderans) in converſione animarum. Exulto in Judicijs tuis quantũvis terribilibus, in omnibus ſanctis diſpoſitionibus tuis. Exulto in te unicô mi DEVS, & gau-

& gaudijs mundi plane renuntio, floribus etiam & odoribus, rebusq; sapidioribus amore tui me privo, quia in te solo delectari cupio, rebusq; solùm illis, quæ cultum tuum concernunt.

FERO & patior amore tuî omnes Corporis & Animi molestias, has & illas præsertim, quæ tibi omnia pro gustu imprimis tuo, & pro gloria tua per totum Orbem dilatandæ; deinde in satisfactionem pro peccatis meis, & pro animabus in Purgatorio, afflictisq; omnibus, offero. Fero & patior amore tuî, omnem dispositionem aëris, intemperiem cæli, quæcunq;

fit; omnes adversitates, humiliationes, vilipensiones, injurias, sitim, famem, penurias, incommoditates, humilem opinionem, sinistra judicia, interpretationes, verba contumeliosa, despectus, humani favoris carentiam, desolationes, & laborum omnium molestias. Quæ omnia, ut æquo animo perferam & libentiùs patiar, propono mihi pro motivo & Idea, te JESVM Crucifixum, omnibus injuriis & opprobriis affectum, omnibus solatijs destitutum, conformans me sanctissimæ voluntati tuæ, gustui tuo, uniensq; meritis tuis.

GRA.

GRATIAS AGO tibi Domine mi & Pater mi, propter magnam Gloriam tuam; gratias ago propter honorem & gloriam tuam, quam in omnibus ſanctis, & ex illis per totum orbem propagari video. Gratias ago, quòd tibi fideliter ſerviatur à multis ſervis tuis. Gratias ago pro illorum ſucceſſibus, pro talentis naturæ & gratiæ. Gratias ago pro beneficijs, quæ Sanctiſſimæ Matri tuæ, quæ SS. Angelis, Sanctis omnibus, meis præſertim Patronis contuliſti. Gratias ago pro omnibus ſpiritualibus & temporalibus beneficijs, Eccleſiæ & Religioni meæ conceſſis. Gratias a-

go pro instituto Venerabili Sacramento, Gratias ago pro beneficijs in justos & injustos collatis. Gratias ago pro Creatione, Redemptione, vocatione, conservatione. Gratias ago pro tanta creaturarum varietate, pulchritudine, præstantia, non tantum ad nostram utilitatem & necessitatem, sed etiam ad corporis & animi exhilaratione͂. Gratias ago pro amotis periculis & occasionibus peccandi, pro liberatione à peccatis multis, pro spiritualibus victorijs amore tuî partis. Gratias ago pro Paterna gubernatione & dispositione in rebus publicis & meis privatis; pro per-

permissionibus meo sensui adversis, injurijs, humilibus de me inter alios opinionib⁹, his & illis adversitatibus, temporalium jactura, corporis infirmitate, cruce hac & illa domesticâ, & internâ soli tibi notâ. Gratias ago pro publicis & privatis beneficijs notis & incognotis, præteritis, præsentibus & futuris; pro exhibito mihi qualicunq; à creaturis honore, commoditate, salvâ etiam in his & illis occasionibus famâ meâ. Gratias ago pro felici & minùs fortunato rerum mearum successu. Quæ possum vel habeo, tua sunt omnia, non mea; te fontem & authorem rerum om-

nium mearum & successuum agnosco ; ex me nihil sum, nec habeo.

HONORO & revereor infinitam Majestatem, Excellentiam & sanctitatem tuam profundissimo affectu. Dominus meus es, ego servus & Mancipium tuum ex natura. Vita mea & mors mea in manibus tuis. Ideoq; te amo & timeo omni tempore & loco; reverecor abyssalem Sanctitatem tuam, & exclamo cum omnibus Angelis & Electis : Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus DEVS Sabaoth. Pleni sunt cæli & terra Majestatis gloriæ tuæ. Video humilitatem & nihileitatem meam, & me

me & ex me coram infinita Excellentia tua sentio & agnosco nihil esse. Quodsi aliquis honor mihi à Creaturis impendatur, huic renuntio; totum in te transfero, quia tibi soli debetur laus, honor & gloria! Et quia scio, quòd tibi vehementer placeat, si in omnibus occasionibus humiliter sentiam de me, non tantum respectu tuî, sed etiam respectu servorum tuorum, respectu officiorum, occupationum: ideo ita me in corde geram, & plus sentiam de omnibus alijs quàm de me. Nunquam in oculis meis alius mihi apparebo, quàm multis defectibus & periculis ob-

noxius, quàm vilior alijs, qui ex se nihil possit, nisi quod & quantum DEVS concedit. Honoro & revereor tuos Vicarios, superiores meos, quibus me amore tuî libenter subijcio, totumq; cum amore & reverentia gubernandum trado. Honoro & revereor omnes res sacras, non ex consuetudine tractans, sed ex magno affectu, cæremonias, lipsana, res benedictas, ob amorem & reverentiam Excellentiæ sanctitatisq; tuæ à qua virtus omnis communicatur. Honoro præsertim Immensitatem tuam sanctam, geramq; me cum omni decentia morum ob tuî reveren-

tiam

tiam, quæ tibi ô DEVS, abyſſalis debetur!

IGNOSCO Domine amore tuî omnibus, qui me injurijs affecerunt totâ vitâ meâ, his & his præſertim; & qui cauſa vel occaſio fuerunt mearum adverſitatum, verecundiæ, & erubeſcentiæ, vilis æſtimationis vel opinionis, directæ vel indirectæ afflictionis, humiliationis. Ignoſco &;amo amore tuî, rogoq; infinitam clementiam tuam, in unione actûs illius, quo ignoſci inimicis tuis ab æterno Patre petiviſti, ut nè ſtatuas illis hoc peccatum; ut ignoſcas; ut omnibus bonis in hac vita, honore, promo-

tione, famâq; optimâ, & magnâ in cælo gloria redones. Imò Domine, quicunq; vivunt inimici mei, vel mihi minùs faventes, illorum merita offero tibi pro gustu, mihi pro animæ salute. Qui verò vitâ functi me graviùs offenderunt, tuoq; jam conspectu salvi fruuntur, hos amore tui in Patronos meos singulares deligo, tum per vitæ cursum, tum in articulo mortis. Et si charitas alterutri proximo sit exhibenda, illi ceteris paribus priùs exhibebo, qui me offendit, respectu cujus nullum unquam indicium patefaciam, me illi non affici, sed verbo, consilio, & bonâ famâ apud alios juvabo.

LABO-

LABORABO Domine purè pro gloria tua, constanter ac fideliter usq; ad mortem, nihil aliud intendens, quàm Gloriam tuam, & illam quidem semper majorem. Laborabo cum fervore, intensione, in parvis & magnis, sinè plausûs & æstimationis venatione, purè propter te, solum tuum honorem & gloriam (sine ullo meo commodo) præ oculis & intentione habendo. Laborabo indefessè ac fructuosè, viribus omnibus. Otium omne ad ultimũ vitæ halitum fugiam, tempus fideliter in ijs transigam, quæ præsens officium exiget, Honor tuus & charitas animarum postulabit.

MITISSIME Domine JESV, amore tuî cum omnibus in omni mansuetudine ac modestia morum, in spiritu pacifico amoris & charitatis procedam, verbo, calamo & vultu, neque ulli offensionẽ præbebo impatientiâ vel severitate. Omnia etiam in meliorem & mitiorem partem interpretabor, tam verbo quoad colloquia & sententiam de alijs, quàm interno sensu, absq; ullo temerario judicio. Modestiam etiam, sicut norma & leges exigunt, exactissimè servabo. Minima sicut Maxima curabo, quia tibi fervor & fidelitas in parvis, summè placet.

NOVE-

NOVERIM te, noverim me Domine, da mihi lumen illud, ut possim te agnoscere, & penitiùs perspicere infinitam Bonitatem, Magnitudinem, Excellentiam, Sanctitatem; quia si scintillam tui luminis, ô Æterne splendor, dederis, in solo tui amore ardebo & vivam. Da Domine tui notitiam omnibus hominib9, ut omnes sciant, cognoscant, revereantur & glorificent te DEUM verum & quem misisti IESUM Christum, nostrum omniũ Iudicem futurum. Noscant te Domine omnes Peccatores & timeant. Noscant te Iusti, ampliùs, ac tepidi, ut ferventiùs tibi serviant.

ant, Noſcant te Gentiles ac Hæretici, & convertantur. Ut te omnes agnoſcant, & tibi fidelisſimè ſerviāt, medullitus deſidero, atq; ad majorem tui notitiā apud alios conciliandam, promovendam, modis omnibus adlaborabo. Sed da etiam ô DEUS notitiam mei, ut vilitatē & meum nihil, penetrem! Da lumen illud, ô JESU Lux noſtra, quod dare ſoles moribundis in limine mortis & æternitatis, conſtitutis, ut ſicut moribundus, ſic jam valens, diſtingvam inter vanitatem & veritatem, inter tempus & Æternitatē; & mea ſit voluntas jam, qualis eſſe vellet in articulo illo, quo damna-

mnatur præteritæ vitæ vanitas, & inſpicitur Æternitas!

OBEDIAM libenter amore tui Domine, Præceptis tuis & voluntati tuæ uſque ad mortem. Obediam Vicarijs tuis, quos mihi præfeciſti, tam Primarijs, quàm ſubordinatis. Obediã executione punctuali, conformi voluntate ac judicio, tam in rebus minutis, quâm difficilibus, moleſtis & humilibus, viſo te Exemplari, qui Obediens fuiſti uſque ad mortem. Non mihi vivo, ſed tibi ſervitijsq; tuis. Contẽtus ſum Domine amore tui hoc loco & officio, paratus ad omnia, quæcunq; mihi per Su-

periores (quos ut Vicarios tuos veneror & suspicio) vis demandare. Laudo & probo omnia, quæ Superiores statuūt ac decernunt. Volo esse tecum Domine obediens usque ad mortem, quoad longitudinem dum vivam, latitudinem in rebus omnibus, profunditatem in arduis & humilibus.

OFFERO tibi PATER Æterne Filium tuum IESVM Crucifixum Dominum nostrum. vitam, sanguinem & mortem illius, humilitatem, obedientiā, patientiam, charitatem; omnia CHRISTI merita, cum omnib⁹ meritis Immaculatæ Virginis MARIÆ,

& o-

& omnium Sanctorum. Tibi
primò in odorem suavitatis
pro gloria Tua & IESV Cru-
cifixi honore; deinde, pro
propagando cultu Immacu-
latæ Matris Tuæ, Omniumq́;
Sanctorum. pro Iustis, Pecca-
toribus, afflictis, publicis ne-
cessitatibus & privatis; pro
perseverantia in Tuo famula-
tu, pro animabus in Purgato-
rio, pro conversione pecca-
torum Infidelium, Hæretico-
rum. pro indictis præsenti-
bus Precibus ac Suffragijs, &
qui se mihi commendaverunt
in genere vel specie &c. Pro
gratiarum actione, satisfacti-
one, propitiatione; pro ani-
ma mea, pro totius Mundi

salu-

ſalute, in unione Oblationis illius, quam (junctis MARIÆ ſuſpirijs) ſeipſum offerendo fecit, Dominus noſter IESUS CHRISTUS.

PAVPER eſſe, tuî, amore volo, Domine mi! exſpolians me totius Mundi poſſeſſione, & nihil uſurpans, niſi quod ex conceſſione tua ſtatus meus & modeſtia ſuadēs, requirit. Si rebus utor, tanquam Tuis à Te mihi conceſſis utor, & non meis! Et quia inſuper ad Evangelicam paupertatem Conſilij, me elevare dignatus es: quod vovi, repeto, confirmo, ac voveo, re atque affectu, nihil me

velle habere, nisi quod sancta Mater Paupertas concesserit habendum. In qua Paupertate, ut Tibi sim magis conformis, nihil appeto ùt proprium de hoc mundo, nec de rebus ipsius. Contentus omnibus illis quoad victum, vestitum, & supellectilem, quæ mihi à sancta Paupertate præbentur. Reculas etiam pias, mihi non necessarias (quanquam & illas, quæ necessaria aliquando apparent) reseco amore Tuî. Supellectilem ipsam (imò & usum quarumcunque rerum respectu meî) ad parcissimum numerum redigo, cùm Tu mihi Domine sufficias. Duo si nus

ô Devs! Tu & ego! & nihil aliud!

NON QVERAR ô Domine dum vivam, de ullis incommoditatibus cœli, loci, officij, valetudinis, supellectilis, victûs, vestitûs, habitationis; de sinistris interpretationibus, vilioribus opinionibus, injurijs & offensis, his vel illis Obedientiæ dispositionibus. Omnia Tibi soli committo Domine, ut Tu rebus meis ad sanctum beneplacitum Tuum provideas. Et licet motivum se mihi offerat ad evitandas querelas ex decentia Moralis virtutis, quæ dicit fædum esse conqueri,

neq;

neque Viro dignum : ex Te tamen hoc Motivum desumo, amorèque Tuî promitto, omnes me Querelas suppressurum. Sed neque illas facturum, quas coram Prudentibus expectoratio & eviscerario permittit.

RESIGNO Tibi mea omnia Domine JESV. Resigno corpus & animam, nomen & famam. Resigno me. ipsum quoad dispositionem, ut Tu Domine de me soliciteris, quoad omnem providentiam, protectionem, gubernationem & eventum in rebus temporalibus & spiritualibus. Sub umbra alarum

Tua-

Tuarum volo vivere. Tibi volo esse curæ; accipe Memoriam, Intellectum, & Voluntatem; nihil de me mihi reservo, omnia mea Tibi trado. Laborem & laboris præmium, omnes coronas & merita Resigno, ac transfero affectu in solam Gloriam Tuam. Hâc unâ in Cœlo coronâ cõtentus ero, quod omnibus meis meritis & coronis in Te translatis, Te magis gloriosum videbo. Atque ut debitum servitutis meæ, quam Tibi debeo, explicem; neque ampliùs vivere, vel laborare, vel mereri volo propter me, sed propter Te, ut Tu magis honoreris, lauderis, benedicaris,

caris, glorificeris, in hoc mundo, & tota demum Æternitate!

SPERO Domine in Bonitate Tua, & Misericordia Tua! Quid spero? Teipsum! Animant me omnes illæ miserationes Tuæ, quas mecum ab infantia exercuisti, ut in æternum non cessem sperare in Te! Appello viscera Tua Paterna, appello misericordiam Tuam abyssalem, appello illum actum quo Crucifixus pro peccatoribus orabas, quo inimicis ignoscebas, quo peccatores ex visceribus Divinæ Tuæ misericordiæ salvare decernebas. Et spero in mise-

ricordia Tua illâ, quòd & ego sim salvandus: ideò ita vivere volo, sicut Filij salutis vivere debent ad æternam gloriam destinati, in sanctitate & justitia, in timore & amore, in ferventi ac fideli famulatu; Tibi soli & nulli humano respectui, omne peccatum fugiendo & evitando, cùm sperantium æternam salutem sit non peccare. Licet autem efficacissimè sperem, non in meis meritis, sed in sola misericordia Tua, tamen:

TIMEO Te Domine filiali timore. Timeo infinitam Majestatem & Potestatem, quâ potes in puncto, mit-

tere

tere corpus & animam in gehennam. Timeo semper Judicia Tua inscrutabilia, quia scire non possum, an amore sim dignus, vel odio, quid me, ultimò fiet. Idcircò constanter enitar, ut Te nunquā deinceps offendam. Scio multos non perseverasse, scio me securū esse non posse, donec animam efflem, ob infirmitatem virium mearum, potentiam passionum, illecebrarum fraudes, suggestionū capitales insidias. Scio, inquam, me peccatis omnibus obnoxium esse. Ideò misericordiam Tuam imploro, ut clementissime JESU sis propitius jam & deinceps mihi

C peccа-

peccatori, ut gratiam efficacem concedas, à malis omnibus misericorditer præserves, oculos illumines, nè unquam obdormiam in morte, peccãdo, & disgratiam Tuam incurrendo. quod nè fiat à parte mea, decerno ex hoc momento, timorem & reverentiam erga Te, nullo me unquam tempore derelicturum.

VOVEO sicut me Tibi obligavi, Divinæ Majestati Tuæ coram Immaculata semper Virgine MARIA Matre Tua & Curia Tua Cœlesti universa, Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam perpetuam. Voveo etiam - - - Renovo, inquam, fidem Tibi datam,

datam, atque hanc ſtabilio nexu indiſſolubili. Si non voviſſem, jam voverem. Quotieſcunque minima ſuggeſtio contraria menti meæ veniet, toties Tibi vovebo, fidemque renovabo Sponſo meo fideliſſimo, & præ toto Mundo amantiſſimo. Promitto inſuper me non tantùm vota mea obſervaturum, ſed ſtrictiſſimis legibus coarctaturum, ut nè in minimo ſit aliqua relaxatio vel diſpenſatio.

VINCAM me Domine JESV amore tuî, in ordinariis integrè & ferventer faciendis. Vincam in actibus heroicis, his & illis difficul-

tatibus, ad aliquam erubescentiam meam, in rebus naturæ ac propensioni contrarijs; in conversatione amica & affabili cum illis à quibus offensus fui, & à quib⁹ genius meus abhorret. Vincam in rebus illis, quæ ad ruborem meum vel depressionem, aut minorem æstimationem faciunt. Vincam hanc & illam inclinationem, sensualitatem, præcipitationem, pruritum, ad hoc vel illud loquendum, videndum, gustandum, interrogandum, audiendum, investigandum. Neque voluntatis appetitu, vel amoris proprij consilio, vel impetu regi volo, sed ratione

tione ac matura deliberatione, juxta normam decentiæ ac Majoris Gloriæ Divinæ. Nullam diem elabi ſinam, quâ Tibi Faſciculum Myrrhæ ex victorijs internis & externis (ſed Tibi ſoli notis) non præſentem.

ZELUM habebo Tui Honoris & animarum ſalutis, quia Tu ipſe propter Animas veniſti, laboraſti & propter illas vitam & ſangvinem dediſti. Zelum habebo Honoris Tui apud prævaricatores. Cavebo Domine, ut nulli unquam animæ malum in moribus ac vita exemplum præbeam. Vitam offeram pro converſione pec-

catorum & Hæreticorum reductione, ut ex ſangvinis mei effuſione, creſcat meſſis Chriſtianorum & Catholicorum. Conabor ad virtutem, ad amorem erga Te majorem, ad majus pro Te obſequium alios excitare tam verbo quàm exemplo. Quidquid verbo vel ſcripto, vel exercitatione facere potero, nulli labori parcam, ut Tibi dignè & laudabiliter ab omnibus ſerviatur. Conabor etiam adlaborare, ut ubique mala impediam, colloquijs bonis bona implantem, corda humana ad boni aliquid pro Te faciendum de ſubſtantijs ſuis, exſuſcitem. In adminiſtrandis ve-

dis verò Sacramentis & inſtru-
ctionibus, ſpontaneam, diu-
turnam, ſedulam & indefeſ-
ſam operam navabo, ut quàm
plurimas animas, vel præſer-
vare poſſim, vel ex pec-
cati ſtatu eruere,
quæ omnia
cedant

A. M. D. G.